

SI ANTIQUIOR CREDITOR PIGNUS VENDIDERIT.

8.20.1

*Imp. Alexander A. Athenioni.*

Si vendidit is qui ante pignus accepit, persecutio tibi hypothecaria superesse non potest.

1 ¶ Cum autem debitor ipsi priori creditori eadem pignora in solutum dederit vel vendiderit, non magis tibi persecutio adempta est, quam si aliis easdem res debtor venumdedisset. Sed ita persequens res obligatas audieris, si, quod eidem possessori propter praecedentis contractus auctoritatem debitum est, obtuleris.

*PP. Vid. Mai. Agricola et Clemente consss.*

[a. 230]

8.20.2

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Eudemiae.*

Obligata pignoris iure creditore recte distrahente post debitor emptori premium offerens vel creditor i quod debuit evincere non potest.

*S. XVI k. Ian. AA. consss.*

[a. 293]

8.20.3

*Idem AA. et CC. Theophilo.*

Quominus creditor, qui ante pignus accepit, distrahat, non offerendo secundus priori debitum interpellare non potest.

*D. VI k. April. CC. consss.*

[a. 294]